UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

De Ivstitia Et Ivre, Continens Tractatvs De Prvdentia, Fortitvdine, & temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia commutatiua, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione, & Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de Emptione, & ...

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

XV. An campsor negare possit cambium in locum sibi minus lucrosum, vt compellat sumere in locum, vbi maius lucrum comparabit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76677

Visual Library

ob fraudem quam interuenire præſumit Pontifex. ſi hæ conditiones non obſeruentur præceptum latum eſſe, ideoque ceſſante fraude nullam eſſe in foro conſcientiæ illarum obſeruandarum obligationem. Attamen verius eſt Pontificem non præſumptioni fraudis in hoc præcepto nixum eſſe, ſed periculis fraudis committendæ. Sicuti aduertit Salas *tractat. de cambiis, dub.27.num.2.* ac proinde eſto nulla fraus intercedat, quia tamen periculum vniuersè non abeſt lex Pontificia vim obtinet dummodo recepta ſit. Quod dixerim quia Leſſius *d. lib.2.cap.23.dub.11. in fine.* Salas *dub.26.* teſtantur paucis in locis, & forte nuſquam ſaltem quoad omnes conditiones receptam eſſe.

2 Prima igitur conditio ex his quas Pontifex ſeruandas præſcribit eſt; ne campſor ratione dilationis vltra terminum ſolutioni deſtinatum conceſſæ lucrum aliquod exigat. Secunda, ne ab initio, vel poſtea paciſcatur de certo intereſſe etiam in euentu quo ſors ſoluta non fuerit. Tertia ne realia cambia aliter quam ad proximas nundinas inſtituant, vel ſi nundinæ non agantur ad proximos terminos iuxta locorum conſuetudinem. Quarta, deſignantur ſolutionum termini iuxta longinquitatem, vel vicinitatem locorum in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfiguntur quam loca deſtinata ſolutioni deſiderant fœnerandi detur occaſio.

3 Prima conditio etiam ſecluſa bulla Pij V. ſeruanda eſt cum iure naturali aſtringamur, ne ob dilationem præciſam debiti ſoluendi aliquod lucrum exigatur, quia eſſet exactio vſuraria, cum ſit lucrum ex mutuo.

4 Secunda conditio inſpecto iure naturali non obligat. Poteſt namque in cambio, aliiſque contractibus de certo intereſſe paciſci, ſi termino deſignato non fuerit facta ſolutio. Quod pactum honeſtatur ob veriſimile periculum damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quod timet creditor ſibi euenturum, ſi differatur ſolutio, de quo periculo iuſtè poteſt ab initio paciſci. Vt diximus in pun.12. Sed quia in hoc pacto plerumque adeſt periculum fraudis, id ſummus Pontifex prohibuit. Ponderanda autem ſunt verba prohibitionis, ne eam pluſquam par eſt extendamus. Inquit enim Pontifex. *Prohibemus, ne campſor ab initio, vel poſtea paciſcatur de certo intereſſe.* Vnde de intereſſe incerto, hoc eſt de damno quod campſori eueniet ex non ſoluta ſorte bene paciſci poterit. Item de pœna ob ſortem non ſolutam. Sicuti diximus *d.pun.12.* & aduertit Leſſius *lib.2.cap.23.dub.11. num.89.* Rebell. *d.q.13.* Salon. *tract. de cambio. q.4. art.2. contr.14. concl.3.* Valen. *22. diſp.5.q.3.pun.4.con.2.*

5 Quod ſi de facto pactus fuerit campſor de certo intereſſe, ſi termino præfixo ſibi non præſtetur ſolutio ob veriſimile periculum damni quod timet creaturum cenſet Rebell. *d. q.13.* obligationem eſſe reſtituendi ſic acceptum. Nam ſi de facto nullum poſtmodum damnum contingit nullus eſt titulus, quo intereſſe illud recipi poſſit, cum nullum ſit intereſſe compenſandum. Si verò de facto damnum eueniat, quod intereſſe petitum non excedit, etſi occaſione illius intereſſe recipi poſſet id intelligendum eſt cum in pactum deduci poteſt: at pactum de certo intereſſe eſt nullum vtpote à Pontifice reprobatum. iuxta *leg. non dubium Cod. de legib.* Ergo certum intereſſe retineri nullatenus poterit.

6 Verius tamen exiſtimo oppoſitum, nempè nullam eſſe obligationem reſtituendi acceptum intereſſe ob periculum damni emergentis, vel lucri ceſſantis cui ſe campſor expoſuit. Nam illud periculum (eſto poſtmodum non eueniat damnum, mercede conduci poteſt. Pactum vero etſi à Pontifice vt periculoſum prohibeatur, non tamen irritatur, quia nullum eſt verbum, ex quo hæc irritatio colligatur. Sicuti indicat Nauarr. *cap.17.num.301.notab.4.* & tradit expreſsè Leſſius *lib.2.c.23.dub.vlt.n.90.* Salas *de cambiis dub.26.num.4. in fine.*

7 Tertia conditio quæ eſt ne realia cambia fiant aliter quam ad proximas nundinas. Proximas nundinas appello ad quas commodè poteſt ſoluturus litteras ſuo factori mittere. Vt benè aduertit Molina, *d.diſp.404.* Salas, *d.dub.6.num.2.* In ordine autem ad has nundinas cambium concedendum eſt, non vero ad ſecundas, vel tertias. Quod intelligendum eſt aucto pretio; nam pro eodem pretio quo cambium ad proximas nundinas inſtituitur, optimè poterit ad intercalatas inſtitui, cum id in commodum campſarij cedat, cui Pontifex præiudicare non intendit. Vt benè aduertunt Nauarr. *cap.17. n.301.* Vega *in ſum. & in epitom. verbo cambium n.29.* Molin. *diſp.404.* Leſſius *d.cap.23. n.91.* Salas *dub.26. num.2.* Neque admittenda eſt in hac parte reſtrictio Rebelli *d.q.13.* aſſerentis id procedere, cum pretium cambij taxatum eſt, ſecus ſi taxatum non ſit. Nam eſſe taxatum, vel non taxatum parum refert, dummodo pretium cambij ob dilationem ad intercalatas nundinas non augeatur. Sicuti expreſsè notauit Salas *dicto dub.26. in fine.* Verum ſi aucto pretio ad intercalatas nundinas cambium inſtituatur, graue peccatum campſor committet, vbi hæc bulla Pij V. recepta fuerit. Neque ab eo excuſari poteſt ex eo quod campſarius ſuo iuri cedat. Non enim hæc ceſſio campſori prodeſſe poteſt, cum hæc lex non tantum in fauorem campſarij lata ſit, ſed etiam in fauorem iuſtitiæ ne campſores occaſionem peccandi ſumant. Attamen pretium ſic receptum dummodo aliàs iuſtum ſit retineri poterit. Nam vt *ſuperius* dixi, quamuis Pontifex cambium ad intercalatas nundinas aucto pretio prohibuerit, non tamen annullauit. Vt reſoluit Salas *d.dub.26. in calce num.4.*

Quarta conditio à Pio V. requiſita eſt, vt in terminis ſolutioni conſtituendis habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, ita vt pro diſtantia loci, in quo facienda eſt ſolutio terminus aſſignetur, dummodo extra nundinas proximas non progrediatur. Sed an in præſenti prohibitum ſit campſoribus, ne ob maiorem terminum ante nundinas amplius lucrentur? non eſt conſtans ſententia. Nam Leſſius *d. cap.23.dub.vlt. in fine,* quem ſequitur Salas *d. dub.26.num.2.* probabiliter cenſet non improbari, & merito, quia in hac clauſula Pontifex non de quantitate ſoluenda, ſed de termino quo ſoluenda eſt egiſſe videtur. 8

Pvnctvm XV.

An campſor negare poſſit cambium in locum ſibi minus lucroſum, vt compellat ſumere in locum, vbi maius lucrum comparabit?

1 *Si ex officio es campſor illicitum eſt.*
2 *Item ſi ſcias campſuarium illo in loco nullam habere pecuniam.*
3 *Secus eſt ſi liberum tibi eſt cambire, & credas campſuarium habiturum pecuniam illo in loco.*

SI ex officio tenearis cambire manifeſtum eſt iniuſtitiam committere cum obligatione ſatisfaciendi campſuario quanti ſua intererat cambium ad locum petitum conceſſum eſſe, quia aduerſus officium delinquis, cuius obligatio eſt te paratum eſſe cambium iuxta voluntatem, & neceſſitatem petentium concedere. Quod intelligitur, ſi ibi paratas pecunias habebas, & correſpondentes. Secus ſi his careas: non enim teneris in omni loco paratam pecuniam habere, tametſi ex officio à Republica conſtitutus campſor ſis. Sicuti docuit Salas *tract. de cambiis. dub.43.* cum Vega *in ſum. & in epitome verbo cambium caſu 24 n.3. & caſu 25.* 1

Secundò eſt certum, ſi ſcias campſuarium nullam habere, neque habiturum eſſe pecuniam eo in loco in quem intendis cambium concedere nullatenus potes eum neceſſitare, vt ad eum locum cambium aſſumat, quia eſſet cambium ſimulatum, & fictum, & conſequenter iure naturali damnatum. Neque in hac parte vllus Doctorum diſſentit. 2

Quapropter controuerſia ſolum eſt, cum tibi liberum eſt cambire, & campſarius pecuniam eo in loco in quem tu vis ad cambium aſſumat paratam habet vel propriam, vel ex mutuo, aut cambio, an eum aſtringere poſſis, vt in eum locum cambium aſſumat denegato cambio in eum locum ad quem ipſe petit? Breuiter reſpondeo inſpectâ lege iuſtitiæ te id præſtare poſſe, nam cum liber ſis ad cambium negandum, vel concedendum, potes nolle concedere, niſi in locum tibi commodiorem, ſicuti cum merces viles, & pretioſas habes, potes nolle viles vendere, quin prius pretioſæ vendantur. Neque obeſt campſarium eo in loco pecunia non indigere, ſed potius eſſe detrimento futuram, quia id eſt per accidens, quod campſor ſpectare non tenetur. Inſpecta autem virtute charitatis, & liberalitatis iniquum eſt aliorum iactura propriis commodis inhiare, raro tamen peccatum mortale intercedet, cum raro obligeris propria commoda negligere, vt aliorum commoda attendas; debet enim ipſos extrema vel ſaltem grauis vrgere neceſſitas. Sic colligitur ex Vega *in ſum. & in epitome. verbo cambium caſu 24. & 25.* Salon. *tr. de cambijs q.4.art.2.controu.13.* Salas *tract. de cambijs dub.43.* 3

DISPVTATIO VIII.

De contractu Societatis.

Proſequimur contractus oneroſos, inter quos ſocietatis contractus non infimum tenet locum.

Pvnctvm I.

Quid ſit Societatis contractus?

1 *Apponitur definitio.*
2 *Explicatur ſigillatim.*
3 *Apponitur illatio ex dictis.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN